

INTERPRETATIO LATINA
LIBELLI PALAEPHATI
DE INCREDIBILIBVS
AVCTORE
ANGELO COSPIO

PARTICVL A PRIMA
ORATIVNCVLIS LATINIS
IN SCHOLA THOMANA

A. D. XI. APR. A. C. CCCCCCLXXXVIII



HORA VIII. ANTE MERID

HABENDIS

P R A E M I S S A

A B

RECTORE CAETERISQVE MAGISTRIS

J. F. Kirchen 1799

db

LEIP
11 (1799)

Q. B. V

Patefecimus ante hos quinque fere, ac viginti, annos, sustulimusque, communem opinionis hominum doctorum errorem, qui putarant, post Phil. Phasianinum, senatorem, et doctorem bonarum literarum publicum, Bononiensem ¹, qui etiam Phasianus, et Phasianus ², nominatur, neminem, praeter Corn. Tol-

1. Vid. Phasianini epistola ad Ricardum, Noruicensem episcopum, in Prolegomm. edit. nostrae maoris opusculi Palaephatei tertiae p. 44. zerus Annall. typographph. To. 6. p. 529. 77.: sed in praefat. ad idem opusculum in sylloga mythicorum veterum, quae Basil. A. C.

2. Certe index editionis Bononiensis libelli Palaephatei hic est,
Palaephati, scriptoris Graeci, opusculum de non credendis fabulosis narrationibus, interprete Philippo Phasiano, Bononienensi: Bononiae per Benedictum Hectoris Idib. April. 1510.
4.: vid. Mich. Denius hist. artis typograph. Vindob. p. 100. et Pan-
cio XXXXVIII. f. mai. exiit ex officina Ioh. Heruagii, p. 106. vocatur Phil. *Phasianus*. Scilicet in lingua Etrusca videtur dictus esse, et *Phasiani*, et *Phastianini*, ita, ut Latine, quum gentilicia nomina in hac lingua in syllabas *ius* exeant, et *Phastianus*, et *Phasianinus*, sit dicendus.

lium, repertum fuisse, qui particulam opusculi Palaephati de Incredibilibus ab Aldo Manutio Venetiis vno, eodemque, anno, et coniunctim cum aliis eiusmodi libellis⁵, et separatim⁴, editam e Graeco in Latinum conuerterit. Etenim quum in manus eo tempore nostras, non sine quodam fortunae nutu, et fauore, incidisset exemplar interpretationis laudati libelli Latinae ab Iodoco Velareo, viro vtrarumque literarum apprime docto, confessae, et anno saeculi sexti decimi duodetrigesimo Antuerpiæ octonis emissae⁵: quo quam primum hominibus sapientiae antiquae, historiaeque rei librariae, studiosis in notitiam veniret, eam, nulla interposita mora, formulis in officina Langenhemia stanneis describendam curauimus.⁶ Ut autem lectores fabularum Palaephati eruditii non minus, quam adolescentes liberales, magistrorum maxime praeceptione, doctrinaque, adiuti, et virtutes, et vitia, huius interpretationis eo facilius reperire, atque adeo iudicare ipſi, possent, quisnam interpretum

Latini

3. Vid. praefat. pr. ad editionem nostram opusculi Palaephatei tertiam maiorem p. 20.

4. Vid. biblioth. Barberin. To. 2.

p. 153.

5. Hanc editionem versionis opus-

culi Palaephatei Latinae Antwerpianam nec Panzerus Annall. typographph. To. 6. p. 12. commemo- rauit.

6. Lipsiae A. C. 1595.

octonis.

Latinorum reliquos curae, et diligentiae, subtilitatis, elegantiaeque, orationis, et munditiei, studio superaffet: comites eidem adiunximus Latinas versiones Phasianini, atque Tollii. Sed de huius consilii nostri ratione plura a nobis in praefatione ad istam interpretationum Latinarum syllogen ita dicta sunt, ut Tollium permultis in locis, et a Phasianino 7, et ab Vellarco, cura, atque solertia, victum esse ostenderimus.

Iam quum in hac incredibili contemtione, in hoc insolenti fastidio, Graecarum, Latinarumque, literarum, quo nostra aetate animi plerorumque magistrorum scholarum ita capti tenerentur, ut libros lingua vernacula conscriptos omni in genere libris Graecis, et Latinis, anteponerent, ut scripta Graeca conuersti adeo a discipulis, non in linguam Latinam, cuius graui scientia ipse carerent, sed in sermonem patrium, iubere auderent; quum igitur in hoc tanto linguarum veterum taedio nullo modo sperandum esse facile intellegeremus, interpretationes illas Latinas libelli Palaephatei tres iterum formulis descriptas stanneis coniunctim editum iri vnuquam: faciendum putauimus,

vt

7. Conf. prolusio nostra in libel- pr. et sec.
lum Palaephati tertia p. 39. ff. edit.

vt per hanc scribendi occasionem, omissa ad tempus enarratione Cratyli Platonici, adolescentibus maxime doctrinae antiquae amore, studioque, flagrantibus tra-
deremus, et ad cognoscendum, et ad examinandum,
quartam eiusdem opusculi versionem Latinam. Est
enim omnium prima illa quidem, sed occulta quasi
adhuc, et ignota, latuit omnibus fabularum Palaephati
editoribus, et enarratoribus, aliisque viris doctis.
8 Primus, quod sciam, indicium eius fecit Michaël De-
nisius, vir clarissimus, in historia artis typographicae
Vindobonensis 9, vt Harlesius iam, vir celeberrimus,
in praefatione ad primum bibliothecae Graecae Fabri-
cianae

3. Nam exemplaria libellorum etiam Graecorum minutorum, quae aliquot tantum plagulis continentur, eorumque versionum Latinarum, primis maxime facili sexti decimi annis, artis typographicae beneficio, editarum, acque rara sunt aetatenofira, atque ipsi eorum codices manu scripti, ita, vt copia huiusmodi exemplarium non temere metiantur docti homines bibliothecarum, et publicarum, et priuatarum, praefiantiam, neque mirandum sit, multas talium opusculorum editiones etiamnunc esse fere omnibus inco-

gutas. Nos quidem nuper demum cognouimus, Theophrasti charactera ethicorum quindecim primos Latine iam a Lapo Castelionculo conuersos exiisse Vindobonae A. C. ccccxxvii. quaternis. v. Denisius hist. artis typogr. Vindobon. p. 159. ff.: qui idem me docuit primus [ibid. p. 554. f.] Platonis Alcibiadem secundum, et Axiochum, e Gracco in Latinum conuersos esse a Ioh. Sambuco, Vindobonae A. C. ccccclviii. quaternis.

9. p. 100.

cianae volumen ¹⁰ docuit. Emissa est Vindobonae,
 quaternis, anno saeculi sexti decimi quarto decimo,
 hoc insignita titulo, *Libellus Palaephati, Graeci autho-*
ris, quo, aliquot veteres fabulae vnde tractae sint,
narratur, studiofis hominibus apprime vtilis: inter-
 pretationis ipsius exemplum excipiunt epigrammata
 duo Latina, quorum alterum Ioh. Camers, qui de S
 Francisci familia fuit, theologiae, bonarumque litera-
 rum, in academia Vindobonenfi doctor, in Palaephati
 fabulas Latine explicatas fecit; alterum scriptum
 est in idiotam vatum detractorem a Ioachimo Vadiano,
 Heluetio, poëta laureato: claudit opusculum subscriptio,
Impressum Viennae Pannoniae, opera Hiero-
nymi Vietoris, et Ioannis Singrenii, chalcographorum:
inipensis vero Leonardi, et Lucae, Alantsee, fratrum,
bibliopolarum, ciuium Viennenfum, pridie Idus Se-
ptembris Anno MDXIII., regnante Maximiliano P
F. Aug. Auctor huius versionis, quam Veigelius,
 philosophiae, et medicinae, doctor Graece doctissimus,
 nobis a Christi Theophilo Vendlero, viro literarum
 humanitatis studiofissimo, amico suo, Vindobonae
 tum commorante, cui ipsi superiore anno medicorum

Li-

10. p. 10. not. *

Lipiensium ordo ornamenta doctoris medicinae tribuit, describendam curauit, est Angelus ¹¹, non Bartholomaeus ¹², Cospus, vel potius Cospius, Bononensis ¹³, maioribus patriciis ortus. ¹⁴ Is, ineunte saeculo sexto decimo, relicta patria, contulit se, bonarum literarum amore ductus, Vindobonam, atque ibi grauissimam professoris linguae Graecae, et Latinae, non sine magna laude, sustinuit personam: quam,
Cospius,

11. Hoc praenomine eum, non modo Ioh. Camers in epigrammate supra laudato, et Bumaldius in bibl. Bonon. p. 18., aliisque, ornant, sed ipse quoque se eodem ab aliis Cospiis discernit in altero titulo interpretationis libelli Palaephatei, qui hic est, *Palaephati, Graeci authoris, opusculum de falsis historiis, Angelo Cospo interprete.*

12. Acciperat Cospius a Ioh. Cuspiniano e bibliotheca Budensi codicem Graecum, sex libros bibliothecae Diodori Siculi continentem. Horum librorum primos duo, hoc est, sextum decimum, et septimum decimum, e Graeco in Latinum convertit: quae corum interpretatio exiit, primum Vindobonae A. C. circa 1516; iterum Venetiis A. C. circa 1517, cura Ioh. Tacuini;

tertium Basileae A. C. circa 1521. ex officina Henr. Petri. Atque in titulo huius editionis tertiae Cospius praenomine *Bartholomaeus*, nescio an per errorem, appellatur. Vid. Dennisius Memorabb. biblioth. Garel. p. 263. II. et Fabricius biblioth. Gr. Vol. 4. p. 563. f. Harlej.

13. Vadianus in epigrammate supra commemorato Cospium vocat *Felsinea* decus, et nouam gloriam, terrae. Nam Bononia olim dicta est *Felsina*. v. Plia. II. N. 5, 15. Gron. 20. Hard. Sed nomina gentilicia Latini definere iubent in syllabus *ius*, ut ante iam significauimus.

14. Certe a Car. Caes. Maluasia ad marmm. Felsinea p. 49. 365. 516. [Bonon. A. C. circa 1516. f. mai.] laudatur *patricia Cospiorum gens.*

Cospio, tertio, vt videtur, ab editione versionis fabularum Palaephati Latinae anno, mortuo, Ioachimus Vadianus suscipere publice iussus est.¹⁵

Etsi igitur Cospius interpretum opusculi Palaeophatei Latinorum fuit tempore quidem primus: tamen ipsa libelli interpretatio est sane eiusmodi, vt auctorem eius facile appareat interpretes aetate posteriores cura, et fide, perspicuitate, et elegantia, ne aequiparasse quidem, nendum superasse. Damus enim liberter, atque fatemur, Cospium orationem mythici non nullis in locis reddidisse verbis admodum exquisitis, et aptis¹⁶: neque ignoramus, ipsum mentem eiusdem saepenumero esse ita assequutum, vt verbis eam multis, et claris, expresserit¹⁷, etiam menda exempli Aldini, quod ab eo in conficienda versione adhibitum esse nouimus¹⁸, solerter correxerit.¹⁹ Sed nos iidem non nescimus, eundem interpretem, vel omnino inficitia sermonis Graeci²⁰, vel incuria, et neglegentia,

^{15.} Vid. ipse Vadianus apud Dennisum Memorabb. bibl. Garel. p. 264. f.

¹⁴, 4. 13, 1. 22, 3. 25, 1. 27, 1. 28, 3. f. 30, 1. 32, 5.

^{16.} Vid. fab. 2, 1. 5, 4. f. 7, 5.

^{17.} 22, 2. 31, 4. 32, 7. 33, 1. 34, 2.

^{18.} 40, 3. 42, 2.

^{19.} Vid. fab. 3, 5. 7, 7. 11, 2.

^{20.} Vid. fab. 2, 6. 6, 1. 11, 1.

tia²¹, vel vitiis scripturae codicis Aldini, quae ipse non sustulisset²², impeditum, vim, sententiamque, multorum verborum, atque locorum, reperire non potuisse; multa ipsum temere, vel addidisse²³, vel omisisse²⁴; oratione denique saepenumero obscura²⁵, nonnunquam etiam folloca, et barbara²⁶, vsum esse, nimioque studio appendendi, neque anumerandi, verba Graeca ablatum, ea interdum ita distraxisse, atque ordinasse, et accepisse, vt sensus extiterit ineptus, alienusque.²⁷ Atque haec est nostra de virtutibus, et vitiis, interpretationis Cospiana sententia: de cuius, vel veritate, et grauitate, vel leuitate, et vanitate, vt iudicare, atque statuere, possent omnes Graecarum literarum studiosi: proponendam nunc quidem, angustiis libelli cogentibus, alteram versionis laudatae partem censuimus.

-
- | | |
|---|--|
| 12, 1. 13, 4. 25, 2. 34, 2. 38, 2. 5, 2. 17, 2. 18, 3. 19, 1. 25, 3. 26. | 42, 2. 45, 1. 46, 3. f. 47, 2. 49, 1. 28, 4. 29, 3. f. 31, 9. 32, 2. |
| 50, 4. | 11. 37. 39, 1. 41, 1. 50, 2. f. |
| 21. Vid. fab. 2, 2. 4, 1. 25, 5. 25. Vid. fab. 2, 6. 9. 11, 2. 12, 3. | 29, 6. f. 53, 1. 44. 5. |
| 22. Vid. fab. 2, 4. 21, 2.f. 23, 1. 14, 1. 24, 4. 25, 4. 29, 8. | 26. Vid. fab. 1, 11.f. 5, 3. 19, 13. |
| 24, 1. 29, 3. 5. 31, 8. 11. 32, 10. 25, 3. 27, 3. 31, 6. 38, 3. | 27. Vid. fab. 2, 9. 3, 4. 6, 2. 7, 4. |
| 37. 41, 2. 45, 2. 46, 2. 49, 3. | 23. Vid. fab. 12, 2. 14, 3. 15, 1. 13, 2. 15, 2. 17, 2. f. 18, 5. 23, 4. |
| 17, 2. f. 18, 2. 19, 3. 25, 4. 32, 1. 28, 3. 31, 5. 7. 32, 1. 10. 11. 12. | 41, 3. f. 34, 2. 35, 1. 38, 3. 39, 4. 40, 1. |
| 24. Vid. prooem. 1. fab. 3, 5. 41, 2. f. 43, 2. 45, 4. 48, 2. 51, 3. | |
-

Q. B. V
 P A L A E P H A T I
 G R A E C I A V T H O R I S
 O P V S C V L V M
 D E F A L S I S H I S T O R I I S
 ANGELO COSPO INTERPRETE

[*PARTICVL A PRIMA*]

*Sunt hominum nonnulli, qui narrationibus fabulofis
 plenam adhibeant fidem, sapientiae, et bonarum
 artium, omnino expertes. Alii rursum firmioris in-
 genii, et longo rerum vſu prudentes facti, in vni-
 versum negant huiusmodi euenire posse. Mihi autem
 videtur eorum, quae dicuntur, nihil non factum esse.
 Non enim, quae fabulose tractantur, verbo tantum
 sunt, vt, quicquid de iis scribatur, penitus vanum
 sit: sed prius re ipsa fuerunt, postea huiusmodi
 sermo in vulgus manauit. Quaecunque vero species,
 seu imagines, descriptae olim sunt, et fictae, quae*

B 2

in

in praesens non sint, eas plane aliquando non fuisse, [non] credamus. Si enim praeter figmenta illa quidpiam olim factum fuit: nunc etiam est, et in perpetuum procul dubio erit. Non parum autem laudationis merentur Melissus, et Lamiscus Samius, qui libros suos ita exorsi sunt, Quae pridem facta sunt, ea, et nunc esse, et deinceps futura, credi par est. Sed eorum, quae olim euenerunt, non pauca poëtae, et fabulatores, in res incredendas, et miracula, verterunt, quo admirationis aliquid consequantur. Ego autem non dubito, talia euteneire non posse, sicuti describuntur: illud rursus negare vix possum, nisi ea olim contigissent, monumentis nequaquam fuisse tradita. Peruagatus autem non paucas regiones, et seniores viros, quid de huiusmodi rebus sentiant, percunctatus, quae ab illis accepi, describere non sum veritus, cum loca etiam ipsa, qualia sint, perlustrauerim. Igitur non ex aliorum commentariis haec scripturus sum: sed rem ipsam diligenter perscrutati, ita enarrabimus.

[I.] CENTAVROS ferarum instar equorum omnia habuisse, praeter caput, proditum est: quos si quis ita esse crediderit, rem utique impossibilem affirmabit, cum hominis natura

natura equi naturae non conueniat: nutrimentum etiam compar non sit, neque per os, et guttur, humanum equi cibus demitti possit. Quodsi huiusmodi forma olim fuisset, nunc eandem videremus. Veritas autem haec est. Cum Thessaliae Ixion rex imperaret: in Pelio monte exasperata taurorum multitudo vicina omnia male tuta reddiderat. In cultiora enim loca irrumpentes arborum, frugum, et pecudum, stragem faciebant. Qua ex re Ixion, cuicunque [*quicunque*] eos tauros comprimeret, non paruam proposuit mercedem. Tunc iunes quidam montani e pago, cui nomen erat Nubes, equos sefforem pati instituerunt, cum prius curribus solum homines veherentur, eosque inscidentes, cum tauris congressi sunt, et acriter insultantes, eos conficiebant. Si quando vero a tauris impetebantur: fuga eos ludificabat, cum equorum velocitate illos longe praeterirent. Eisdem quiescentibus, reuersi rursus inguebant: qua arte penitus confecti sunt. Indeque Centaurorum nomen, quod tauri confossi sint: nihil enim taurinum Centauri habent, mixti ex homine, et equo. Ex hoc labore mercedem ab Ixione adepti, gloria, et opibus, aucti, in contumeliam fese, et insolentiam, conuerterunt, multaque infanda committentes, nec a rege Ixone se temperarunt. Is eo tempore Larissam urbem habitabat, eiusque loci incolae Lapithae nuncupabantur. Quin etiam ab iis Centauri ad festum conuiuum inuitati, temulentii eorum vxores inuadunt, et equis inuictas abducunt in suos montes, ex quibus

se

se oppugnantes Lapithas facile deturbabant: noctu etiam in plana descendentes infidias moliebantur, lucecente die abducta praeda in montes recurrebant. Quorum abeuntium [*Qui abeuntibus*], cum equorum terga, et ipsorum capita, e longinquo tantum viderentur: nouo spectaculo homines moti dictitabant, Centauros e Nube venientes multas noxas committere: a quo sermone datus est fabulae locus, e nube scilicet equum viro mixtum in monte editum est [*efferre*].

[II.] DE PASIPHAE. Fabulantur, Pasiphaen deperisse taurum in pratis errantem: Daedalum vero ligneam vaccam fabricatum, in ea Pasiphaen inclusisse, sicque delusum taurum cum muliere habuisse rem, e qua natus sit puer capite bouis, cetera homo. Quod commentum ego nequaquam crediderim. Primum enim diuersae formae animantia sese diligere natura non dedit, sic, uti canis simiae, lupus hyaenae, bubalus elephanti [*ceruae*], commisceri possit. diuersae enim sunt species. Quis demum credit, boui ligneae taurum coivisse, occlusa in ea Pasiphae? Sed prae omnibus absurdum est, feminam cornutum fetum ferre potuisse. Res proinde ita se habet. Aegrotabat ex genitalibus Minos, curatusque a Pandione Atheniensi, cum domum rediret: eum secutus est egregiae formae adolescens, Taurus nomine, cuius amore capta est Pasiphae, cum eo rem habuit, et filium concepit. Minos, subducta temporis ratione, quo ex pudendis cooperat laborare, filium suum non esse, quod eo tempore cum uxore non

non decuhasset, ex Tauro etiam eum genitum esse, cognouit. Pueri vitae pepercit, quod liberorum suorum vtique frater esset: sed eum in montana loca ablegauit destinatum ad pastorum seruitia: quem illorum officia mirifice vexantem, missis aliquot ciuibus, Minos ad se adduci iussit, si sponte sequeatur, solutum, sin minus, vinctum. Eam rem praefentiens iuuenis sese in tutiora montium loca recepit, abactisque gregibus, ibi agebat. Maior iterum hominum vis ad eum coercendum missa est. Ille tunc, effosso ingenti cauo, se in eo communivit: vbi dum se vt plurimum continet, quandounque Minoi noxius quispiam supplicio afficiendus videbatur, eo illum deturbabat. Contigit eo tempore, vt bello Theseus caperetur, missaque et ipsi ad cauum illud, tanquam ad mortem certissimam, Ariadna clanculum gladium subministravit, quo Theseus Minotaurum confecit.

[III.] DE ACTAEONE. Vulgatum est, Actaeona ab suis canibus voratum fuisse. Quae res vtique falsa est, cum dominos suos plurimum diligent canes, venaticique in vniuersum hominibus blandiantur. Additur fabulae, a Diana in ceruum commutatum a canibus eum fuisse disceptum. Quae potestas Diana non videtur concedenda in re impossibili, vt homo ceruus, et ceruus homo, fieri possit. Commenti autem talia sunt poëtae, quo vulgus haec audiens deos magis vereretur. Verum quidem id est. Actæon, vir Arcadius, venationi deditus, magnam vim canum nutriebat,

age-

agebatque plerumque in montibus, seria negotia susque, deque, faciens. ea enim tempestate homines per se, non servorum opera, suas res tractabant. Erant aliquot negotiatores Actaeoni: sed hi proprios agros colentes, et opum, et operum suorum, abundantia commissa negotia vix curabant. Dum ita res domestica negligitur, et venatio sola ei curae est: breui Actaeonis opes comminutae sunt, ut omnium rerum indigentia laboraret. Illud proinde homines ei obiiciebant, *Miser Actaeon, te tui canes deuorarunt:* quemadmodum et de scortatoribus dici solet, eos a scortis deglutitos esse. Idem et Actaeoni contigit.

[III.] Ridiculum certe, quod aiunt, ab EQVIS DIO MEDIS homines edi solitos, cum animal huiusmodi ordeo, et feno, non autem humana carne, vesci ex animo soleat. Verum quippe est, vetusto illo tempore homines suis manibus, et opes, et vitae necessaria, solitos parare, praecipue agrorum cultu. Diomedes vero soli equorum curae intentus, ut eos aleret, non sua tantum, sed et multorum hominum rem, absumpsit. Amici itaque eos equos hominiuoras nuncupabant: qua ex re conficta est fabula.

[V.] DE ORIONE. Ex Ioue, Neptuno, et Mercurio, ita natus est Orion. Mirifica excipiendi hospites liberalitate commendatus est in Tanagra Boeotiae Hyrieus, Neptuni, et Alcyones, filius: ea autem erat vna ex Atlantis filiabus: adeo, ut nonnunquam et deos inuitauerit. Iupiter certe,

[et]

[et Neptunus], et Mercurius, laute, et magnifice, apud eum accepti, laudata illius liberalitate, hortati sunt, ut aliquid a se optaret. Nulli huic erant liberi: idcirco filium a diis petiit. Dei [dii], bouis, qui in sacrificio sibi facto immolatus fuerat, corio apprehenso, effuderunt in illud semen, admonueruntque, ut terra operiretur, exactisque decem mensibus, tunc demum extrahi [extrahcretur]. Eo tempore genitus est Vrion: sic primo vocatus, quod dei [dii] genitalem vrinam effudissent: deinceps honestiori nomine Orion. Hic olim cum in venatione Dianaee vim afferre conatus esset: indignata dea scorpionem e terra emisit, qui vulnera secundum talum eum extinxit. Iupiter tunc miseratione motus eum in fiderum ordinem retulit.

[VI.] DE HOMINIBVS EX SATI ONE EDITS. Fama est, Cadnum, necata apud Lernam serpente, illius dentes in regione sua conseuisse: vnde armati prodierint homines. Quod si verum fuerit: quis non huiusmodi fementem, omissis aliis, libenter fecerit? Veritas autem haec est. Cadmus, e Phoenicia, postquam de regno cum Phoenice fratre decertauit, Thebas se contulit, preciosa multa, ut regem decuit, et praecipue elephantorum dentes, secum afferens. Erat eo tempore Thebanorum rex Draco, e Marte genitus: quo obtruncato, regnum Cadmus inuasit: nec id aequo animo, et filii, et amici, Draconis passi sunt: sed cum in contentione inferiores fuissent: ablatis Cadmi

C

thesauris,

thesauris, cum elephantinis dentibus in ea loca se receperunt, quae inferendo in Cadmum bello opportuna existimarent. Diuersa autem ea fuerunt. Quidam in Atticam, nonnulli in Peloponnesum, aliqui in Phocida, ceteri ad Locrenses, appulerunt: e quibus omnibus locis facto impetu, infestissime cum Thebanis depugnabant. Quoniam vero raptis eboreis dentibus, qui penes Cadmum erant, illi aufugerant: frequens hic erat Thebanorum fermo, Cadnum, confecto Dracone, tot calamitates ciuibus suis inuexisse, cum ex eius dentibus producti multi, et strenui, viri secum depugnarent: cui rei fabula adficta est.

[VII.] DE SPHINXE. Vulgatum est, Cadmeiam Sphingem, monstruosam belluam, corpus caninum, adolescentulæ faciem, et caput, alas autem instar avium, habuisse; humana etiam voce, degentem in monte Sphicio, aenigma aliquod praetereuntibus ciuibus proposuisse, quibus illud aperire nescientibus ab ea mors parata esset. Oedipo autem datum aenigma soluente, eam sese torquentem consecisse. Primum non digna fide, et praeternaturalis, est forma, vt nullo pacto fieri possit: demum solutionem aenigmatis ignorantes ab ea interfici, nonne puerile est? Ineptum etiam est dicere, Thebanos hanc feram tolerasse, quod ciuibus minime infensa, hostes in vniuersum areptos deuorarit. Sed quid verum sit, videamus. Cadmus, cum ei esset vxor Amazonia, Sphinx nomine, Thebas venit, interfectoque Dracone,
rege,

rege, eius innasit regnum, defunctique regis sororem, Harmonia m, infecundam duxit vxorem. Qua de re indignata Sphinx, sollicitatis quam plurimis ciuibus, vti secum secederent, ablatis mariti thesauris, abducto etiam cane, quem summae velocitatis ex Phoenicia secum Cadmus adduxerat, Sphicum montem, quem diximus, occupauit, indeque marito bellum inferebat, et continua insidiis late omnia populabatur. Appellantur autem insidia*aenigmata* a Thebanis: qui vulgo tunc illud dictitabant: *Sphinx summa vigilantia, facto aenigmate, nos discerpit, nec quisquam aenigma illud potest detegere.* Cadmus igitur, proposito ingenti praemio, inuitauit eos, qui Sphinga confidere auderent: venitque e Corintho Oedipus bellicae rei peritus, secum habens equum magnae celeritatis, sumtisque commilitonibus aliquot Thebanis noctu in montem inuasit, Sphingaque interfecit. Ab hac re artificiose elaborata est fabula.

[VIII.] DE VVLPE. Telmesia vulpes Cadmeios homines rapuisse, eosque demum comedisse, dicitur. Quod absurdum est, cum terrestre nullum animal hominem rapere, et auferre, possit, nedum vulpes, pusilla, et imbecillis, bellua. Huiusmodi autem res fuit. Erat Thebis formae, et probitatis, egregiae vir quidam, Vulpes nomine: calliditate etiam cunctos ciues suos superabat. Proinde rex, veritus, ne sibi insidiae tenderentur, eum vrbe pellit: qui protinus, eoacta militum manu, ceterorumque, quos nuneribus ad

se pellegerat, montem, nomine Telmesium, occupauit: vnde facto impetu, Thebanorum bona diripiebat: passim tunc dicebant homines, *Vulpes, nos depraedata, fese aufert.* Venit tandem Thebanis auxilio Atheniensis Cephalus, qui Vulpem interfecit, eiusque exercitum e loco illo deturbauit.

[VIII.] DE NIOBE. Aiunt, Nioben viuentem lapideam ad sepulcrum filiorum factam fuisse. Leuitatis certe summae erit, qui crediderit, e lapide hominem, ex hominibus lapides, sieri posse. Illud quidem non negandum, Nioben, mortuis filiis, sibi exculpi curasse imaginem lapideam, quae in illorum sepulcrum erecta sit: nosque eam sic positam vidimus.

[IX.] DE LINGEO. [LYNCEO]. Falsum omnino est, Lingea obtutu suo subterranea penetrasse. Hinc autem hoc fictum est, quod Lingeus primus in terrae latebris aes, argentum, et huiusmodi alia, perscrutari coepit. Idque dum facit, lucernas in caua terrae apportans, eis ibi relictis, in lucem aes, et ferrum, reportabat. Iccirco illud iactatum est, Lingueum, quae sub terra sunt, inspicere, illucque se immergentem argentum colligere.

[X.] DE CAENEO. Caeneum nullo vulnere laedi potuisse, nullus sanae mentis crediderit, cum humana corpora ferro neutquam possint resistere. Verum quidem est, Caeneum Thessalum rei bellicae gnarissimum fuisse, et in depugnando magnae fuisse calliditatis, et saepius confertis manibus,

manibus, semper inuiolatum discessisse.' In pugna etiam Lapitharum contra Centauros ab his confossum non est, sed facto impetu, cum agminatim eum inuasissent, oppressus est, sicque diem obiit. Reportantes autem eius cadauer Lapithae, cum viderent corpus integrum, dictabant, *Caeneus donec vixit, vulnerari haud potuit, et sine vulnere mortuus est.*

[XII.] DE CYGNO. In Colonis de Cygno itidem dicitur, quod nullo vulnere offendii potuerit. Fuit enim bellicae rei scientissimus. In Troiano autem bello Achillis lapide, non telo, oppressus est. vnde qui cadauer sine vulnere viderant, Cygnum vulneri non fuisse obnoxium dixerunt. Itaque fama in vulgus abiit. Accedit veluti in testimonium nostrum, quod pariter Ajax Telamonius vulnera non passus fuisse dicitur, cum, non aliena vi, sed suo sibi gladio, mors inficta sit.

[XIII.] DE DAEDALO ET ICARO. Traditum est, Daedalum, et eius filium, Icarum, ob facinus quoddam a Minoë carceri inclusos, amboisque, agglutinatis sibi alis, custodiam euasisse. Hebetis certe sensus erit, qui factitiis pennis homines volucres fieri crediderit. Hinc quidem fabula orta est. Daedalus, et Icarus, e carcere per fenestram se demittentes, cymbam ingressi in mare enauigarunt: Minos naues, quae eos persequerentur, misit: id illi praesentientes, vehementioribus adiuti ventis, euolantes, id est, citissimo prouecti

prouecti cursu, hostium naues euitarunt: ipseque Daedalus incolmis litus appulit, Icarus vero mersus est: a quo Icaro mari factum est nomen: eiectum deum a fluctibus pater sepulcro condidit.

[XIII.] DE ATALANTA ET MELANIONE.

In leonem, et leaenam, mutatos esse Atalantam, et Melanionem, tradunt. Verum quippe est. Cum ii venatum iuissent: Melanionem precibus exorasse, vti Atalanta in re Venerea sibi assentiretur, ob idque proximam speluncam adiuisse, vbi forte erat leoni, et leaenae, cubile: qui, humana voce excitati, exeunt, Atalantamque, et Melanionem, apprehensos deuorant: progressique vterius cum a venationis sociis viderentur: vt sunt faciles in timore ad credendum homines, existimarunt ii, Melanionem, et Atalantam, in huiusmodi feras mutatos esse, redeuntesque in urbem famam hanc paßim vulgarunt.

[XV.] DE CALLISTONE. Similis propemodum est de Callistone fabula, eam scilicet inter venandum in vrsam commutatam fuisse. Id certe non negandum, eam venationis gratia montem inscendisse: vbi immanis vrsa ei se obtulit, et mortem consciuit: socios autem diligenter eam perquisiisse, donec ad vrsae cauum peruererint. Vnde, quella non inuenta, cum hac opinione receperunt, vt vrsam factam dixerint.

[XVI.]

[XVI.] DE EVROPA. Europa, Phoenicis filia, tauro per mare vecta, vt aiunt, ex Tyro in Cretam deuenit. Mihi id certum est, neque tauri, neque equi, esse tantum pelagus pertransire: non etiam credi par est, puellam ausam atrocem taurum inscendere. Si vero Iouis voluntate transferenda erat Europa: nonne commodiori ventionis [*vectione*] id fieri potuit? Ita certe res contigit. Vir Gnosius, Taurus nomine, cum Tyriis bellum gerebat, raptisque puellis pluribus, inter quas regis filia erat, Europa, tandem discessit. Vulgo proinde dicebatur, *Europam regis habens Taurus abiit.* vnde conficta est fabula.

[XVII.] DE LIGNEO EQVO ET TROIA. Cantatissimum est, ligneo equo inclusos Achiuos vrbum Ilion diruisse. Nec hoc ceteris minus fabulosum est. Ita enim est factum. Construxerunt Graeci molem ligneam instar equi, quae magnitudine portarum Iliensium fastigia superaret, ne intra vrbum ob altitudinem trahi posset. Confederant Graecorum duces in loco insidiis opportuno secus vrbum, nec longe reliquus exercitus aberat, cum transffugae in morem a Trojanis receptus Simon eis persuadet, vti machinam illam in vrbum fusciperent ante, quam superuenirent Graeci. Huius consilio portas demoliuntur, equumque ligneum admittunt: demum cum otiosi conuiuiis indulgerent, ecce tibi facto impetu Graeci nobilissimam vrbum, et inuadunt, et populantur.

[XVIII.]

[XVIII.] DE AEOLO. Ventorum regem, Aeolum, Vlyssi dedisse vtribus inclusos ventos, vnicuique impossibile videri arbitror. Illud autem verosimilius est, fidalis scientiae peritum Aeolum certa tempora Vlyssi indicasse, quibus vehementiores venti insurgerent. Fama etiam est, eius vrbum sheneo muro munitam fuisse, quod armatos homines, vt reor, ad eam custodiendam disposuerit.

[XVIII.] DE HESPERIDIBVS. Hesperidum poma aurea, quorum arbor a dracone custodiretur, eo deuicto, rapuisse Hercules ideo dicitur. Erat Hesperus, vir Milesius, habitans in Caria, cuius filiae duae Hesperides vocabantur. Habebat is Hesperus venustissimas, et plurimi fructus, oues, quales et nunc sunt Milesiae: aureae vero dicebantur, quod inter mortales auro nil pulcrius habeatur, eae autem pulcherrimae fuerint: mala [$\mu\tilde{\eta}\lambda\alpha$] autem apud Graecos, et poma, et oues, pariter dicuntur. Hunc gregem secundum mare pascentem auertit Hercules, et nauibus suis imposuit; pastorem etiam, Draconem nomine, itidem abduxit. Mortuus tunc erat Hesperus, superstitesque erant filiae. Igitur illud passim dictum, *Vidimus aurea mala, quae Hercules ab Hesperidibus, custode Dracone imperfecto, auerit.* Et hinc orta est fabula.

[XX.] DE COTTO ET BRIAREO. De his vulgatum est, quod centum manus habuerint. Quod certe vanum

yanum est. Veritas autem est huiusmodi. Ciuitati, quam inhabitabant, erat nomen Centimania, in ea, quae nunc Orestias dicitur. Dicebant idcirco homines, Cottus, Briareus, et Gyges, Centimani, in deorum gratiam Titanas ex Olympo deturbarunt.

[XXI.] DE SCYLLA. Scyllam apud Tyrenos dicunt fuisse feram quandam foeminae forma usque ad umbilicum, indeque deorsum versus agnata ei fuisse canina capita, reliquo corpore serpentem fuisse. Dementiae omnino summae erit, qui similem speciem, tanquam veram, animo percepit. Hinc autem figmentum fecutum est. Tyrenorum insulae erant, ex quibus praedones loca omnia Siciliae finitima, finum etiam Ionium, diripiebant. Erat eorum triremis quadam, nomine Scylla, quae summae velocitatis discurrens prætereuntes naues depraedabatur, sibique inde parabat commieatus, ideoque multis notissima erat. Hanc nauem Vlysses vehementi, et continuo, vento adiutus euasit, narrauitque postea inter alia Alcinoo Corcyraeo, qua arte, et quo adiumento, Scyllam effugisset, eiusque formam regi descripsit. vnde fabulam effinxerunt.

[XXII.] DE DAEDALO. Imagines a Daedalo excultas per se iuisse, ego, vtpote impossibilem rem, numquam crediderim. Compertum autem est, statuarios eo tempore, et illos, qui varias imagines effingebant, iunctis pedibus

D

bus

bus opera sua confistere fecisse. Daedalus autem vno pede progressas formabat. Hinc plurimi dicebant, *Daedali simulacra progredientia facta sunt, non, vt aliorum, stantia.* Quin et nunc frequenter dicimus, pictos esse homines pugnantes, currentes equos, et naues in mari periclitantes.

[XXIII.] DE PHINEO. Phineo Harpyias maxime infestas fuisse, fama est: quae ferae volucres ex eius mensa epulas solitae sint diripere. Res autem haec contigit. Phineus, Paeoniae rex, ob senectutem oculorum vsum amisit: mares huic liberi perierant: foeminae autem duae, Pyria, et Erasia, domesticam penum, quae patris erat, identidem comminiebant, vt passim homines dicerent, Infelicem Phineum, cui Harpyiae res, ad eius victimum paratas, deperderent. E vicina autem vrbe venerunt Zethus, et Calais, filii Boreae, hominis in vrbe sua hand ignobilis, miseratique Phinei calamitatem, filias vrbe ciecerunt, coactisque rebus, quae dispersae fuerant, earum curam destinauerunt procuratori, qui erat ex terra Thracia.

[XXIII.] DE METRA. Erisichthonis filiam, Metram, ex genitoris voluntate in varias formas se mutasse aiunt: rem vtique ridiculam. Adulescentulam enim, nunc bouem, nunc canem, vel auem, fieri posse, quis credat? Ita certe se habet res. Erisichthon erat vir Thessalus, qui, dilapidatis bonis, ad summam venerat indigentiam. Huius fi-
liam

liam formosam, et elegantem, quisquis vel semel viderat, deperibat. Argento ea tempestate foeminae viris non conciliabantur: proinde aliquis equos, boues alias, vel oves, vel quod alius magis Metram oblectasset, donabat. Thessalorum inde hic erat sermo, cum Erisichthonis opes auctas viderent, ex Metra patri equi, boues, et alia, fiunt: sicque fabula facta est.

[XXV.] DE GERYONE. Cum nulli corpori natura dederit tria capita: Geryonem tricipitem fuisse, non possumus credere. Tale autem est hoc. Ciuitas est in Euxino Ponto Tricipitia nuncupata, vbi Geryon inter suos ciues, et diuitiis, et aliis artibus, egregium sibi nomen parauerat. Habebat inter alias opes bouum [*bouum*] armenta non parua digna admiratione: quae ut inuaderet Hercules, Geryonem interfecit. Dum igitur abducerentur boues, omnibus admirationem insiciebant. Erant mediocri magnitudine; a capite etiam usque ad lumbos non multum spatii protendebatur; simae, et sine cornibus, ossibus vero praegrandibus, et latis, erant. Has curiose insipientibus hominibus nonnulli dicebant, *Praeda haec ab Hercule arrepta est Tricipiti Geryoni.* Hinc multi crediderunt, illum habuisse tria capita.

Atque haec est prima Cospianae interpretationis opusculi Palaephatei particula: quam, exente hoc

D 2

anno

anno ita sequi, volente deo, iubebimus alteram, vt,
ea proposita, ad enarrationem Cratyli Platonici reuer-
tamur. Magistris enim ludorum literariorum fidelibus,
grauibusque, quorum opera rei publicae rationes sem-
per, laudesque bonorum, et ipsorum familiarium
salutem, vnice sequatur, ac spectet, neque vnquam
yllo modo inanes, vanosque, imperitorum hominum
rumusculos aucupetur, mercenariorumue buccinato-
rum voces sordidas, insanasque, venetur, nihil ca-
rius, nihil prius, nihil antiquius, enarratione aucto-
rum vtriusque linguae classicorum diligent, atque
accurata, esse debet, ita quidem, vt libros omnes barba-
ris linguis conscriptos eiificant, neque manibus ver-
fari a discipulis vlo pacto patientur. Haec sane di-
sciplinae seueritas cogit adeo liberales, et ingeniosos,
et nauos, adolescentes comparare sibi scientiam vtrius-
que generis literarum grauem, atque excellentem.
Facultas vero orationis Graecae, et Latinae, idonea,
non solum aditus patefacit facillimos ad perfectam ar-
tium ingenuarum omnium cognitionem, sed etiam
vias munit certissimas ad stabilem omnium adumento-
rum, praesidiorumque, et ornamentorum, vberiorum
doctrinarum possessionem. Certe sapiens illa, atque
pru-

prudens, disciplinae ratio, quae saeculo sexto decimo
in scholis publicis omnibus etiam Germaniae ²⁸ viguit,
vt iuris prudentiae, ac medicinae, etiam philosophiae,
ita in primis theologiae, tot dedit, tantaque, lumina,
quorum splendor ad nostram usque aetatem integer
ita propagatus est, vt nunquam minui, nedum ob-
scurari, vlo modo posse videatur. Quem enim doctio-
rem, quem sanctiorem, quem excellentiorem, theologum
Lutheri familia uerum vidit Philippo Melanthone?
Huius vero tanti theologi summae virtutes omnes efflo-
ruerant ex vna Graecarum, Latinarumque, scientia,
qua ipsum nouimus ita excelluisse, vt etiam nunc iudi-
ces hoc in genere graues, neque cupidi, omnes sta-
tuere cogantur, Melanthona sua quidem aetate in toto
Germanorum orbe neminem habuisse, praeter Ioachi-
mum Camerarium, doctrina Graeca, et Latina, pa-
rem. Atque huius Graece, Latineque, doctissimi, hu-
manaque posteritatis omnis admiratione singulari di-
gnissimi,

28. Vid. Ernestii senis Prolusio, nomine rectoris Academiae Lipsiensis, A. C. 17010CCLXXVI. proposita, quam praemisimus oratiunculis Latinis quinque, quibus disciplina seholiarum publicarum antiqua cum noua ludorum priuatorum nostrae aetatis disciplina confertur, in schola Thomana A. C. 17010CCLXXXVI, habitis, curaque nostra eodem anno Lipsiae, octonis, editis.

gnissimi, theologi virtutes incredibiles, hortatu nostro,
ante discessum e schola Thomana suum celebrare ora-
tiunculis Latinis constituerunt alumni disciplinae eius
publici tres, ita quidem, vt etiam aduersus patronos
ludi, et curatores, et magistros, reliquosque euer-
getas, pium, gratumque, declararent animum. Et
enim ORTHOBIVS SEGIMVNDVS IASPIS,
Misenensis, adolescens non mediocris spei, qui rectori
scholae, scriptores vtriusque linguae optimos enarran-
ti, praeceptaque artium liberalium tradenti, tres an-
nos ita operam dedit, vt nulli condiscipulorum studio
doctrinae antiquae, omnisque honestatis, fuerit secun-
dus, *de Phil. Melanthonis literarum, et Graecarum, et*
Latinarum, studio acerrimo verba faciet: GVIL. FRI
DER. RIMIVS, Colledanus, adolescens in primis
docilis, atque modestus, qui bieium in disciplina
rectoris ludi exegit, *de Phil. Melanthonis facultate*
interpretandi libros diuinos, et scientia doctrinae Chri-
stianae, egregia dicet: IOH. CHRISTI. FISCHE
RVS, Longosalisanus, adolescens cupiditate literarum
bonarum, virtutisque omnis studio, admodum excel-
lens, qui numeros auditorum classicorum auxit annos
quatuor, *de Phil. Melanthonis facultate Latine scri-*
bendi,

bendi, et dicendi, et differendi, de rebus diuinis eximia, studioque virtutis, et sanctitatis, Christianae flagrantissimo, exponet. Has igitur oratiunculas ingenuorum adolescentium optimae spei vt praefides, et custodes, et fautores, ludi Thomani omnes perendie, hora nona antemeridiana, in auditorio classico beniuolis, libentibusque, auribus accipere, studiumque dicentium suis studiis incitare, et rationes discipulorum non minus, quam magistrorum, omnium curae sua, et prouidentiae, quam commendatissimas habere, ve-
lint, ita rogamus, vt magis non possimus. Scripsi-
mus in schola Thomana a. d. v. Idus Apriles A. C

III CCCLXXXVII

L I P S I A E

E X O F F I C I N A T A V C H N I T I A

tinis ex-
ristianae
ulas inge-
sides, et
perendie,
eo beniou-
mque di-
cipulorum
urae suae,
habere, ve-
Scrip-
piles A. C

bendi, et dicenda
mia, studioque
flagrantissimo, e-
nuorum adoles-
cstodes, et fa-
hora nona ante-
lis, libentibus
centum suis I
non minus, q
et prouidentia
lnt, ita roga-
mus in schol-

CCCCCCCCCCCC

E X O

I T I A

TIFFEN® Gray Scale



